

Pontifícia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos

241

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIONE AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Eī Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula :

I — DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

D. An vi canonis 81, conlati cum canone 1045, Ordinarius dispensare valeat ab impedimentis matrimonialibus intra fines eiusdem canonis 81, et si nondum omnia parata sint ad nuptias.

R. Affirmative.

II — DE INCARDINATIONE RELIGIOSI SAECULARIZATI

D. Utrum verba canonis 641 § 2 : *Episcopus potest probationis tempus prorogare*, intelligenda sint tantum de prorogatione expressa, an etiam de prorogatione tacita.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III — DE IURE ACCUSANDI MATRIMONIUM

D. Utrum, secundum canonem 1971 § 1 n. 1 et responsum diei 17 iulii 1933 ad II, inhabilis ad accusandum matrimonium habendus sit tantum coniux, qui sive impedimenti sive nullitatis matrimonii causa fuit et directa et dolosa, an etiam coniux qui impedimenti vel nullitatis matrimonii causa exstitit vel indirecta vel doli expers.

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 27 mensis Iulii, anno 1942.

M. Card. MASSIMI, Praeses.

L. S.

I. Bruno, Secretarius.

Ad maius inquirentium commodum *Appendix* additur in qua aliquae Epistulae de Actione Catholica provehenda referuntur, quae ad Excōs DD. Ordinarios Argentinae, Columbiae et Insularum Philippinarum a Pio PP. XI. f. r., missae fuerunt.